



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs IV. De aliis argumentationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

tatio, tametsi propositionibus constet physico quodam ordine sese respicientibus, & quarum alia nascitur ex alia; ceterum eius potissima ratio, & conditio est præmissarum, & conclusionis connexio intentionalis, atque quo ad veritatem, merito cuius illæ nequeunt esse veræ, quin etiam hæc sit cum veritate coniuncta, illarumvè, quod perinde est, obiectum esse, quin existat etiam huius: Atqui hæc connexionem destituitur id genus syllogismi apparentis, quo de agimus.

55 Ad hæc quartò: si syllogismus formaliter sophisticus esset propriè argumentatio, certè non alia quàm syllogismus, vt rectè obiciunt aduersarij: quo fit è Conuerso, si non sit propriè syllogismus, haud etiam esse posse strictè argumentationem: Atqui non est verè syllogismus: hunc enim cum Aristotele omnes definiunt, in quo ex duabus præmissis necesse est conclusionem sequi, id est, in quo ea debet ex illis sequi: moraliter enim loquendo id necessarium est, quod debet fieri, quæ ratione vulgò dicimus, restitutionem rerum alienarum esse necessariam, propterea quod sit debita: at ex præmissis non formalibus non debet inferri conclusio, sed potius oportet, ac rationi valde consentaneum est, vt non inferatur: non ergo earum complexio est rigorosè, & propriè syllogismus, atque aded, vt dictum est, nec argumentatio.

56 Quintò tandem, quod ait Auerſa citata q. 2 §. log. sect. 4. necnon q. 29. sect. 6. syllogismum sophisticum defectu formæ talem propriam, ac strictam rationem esse argumentationem, atque etiam syllogismum, non tamen qualem definit Aristoteles, & cum eo tota schola, sed latius sumptum, meo iudicio frivolum est: quo enim fundamento negat, Philosophum tradita à se definitione syllogismi omnem propriè talem non complecti: quo, syllogismi illius latius fusi, sed tamen proprii ac veri oblitum fuisse: quid etiam aliud quam viam aperit tollendi de medio rerum definiendarum artem: quæ enim eius utilitas esse potest, aut quid secundum eam concludi potest de naturis, & essentiis conceptuum communium, si fas est definitionibus definita, non quæ sonant, sed quæ cuique comminisci libet, accommodare: fac aliquem sustinere, gratiam, ac dona supernaturalia non esse accidentia, sed substantias: huic si opponas, ea haud esse entia per se, an nõ facile te eludet, si ex doctrina Auerſæ, eiusque philosophandi ratione, dixerit definitionem illam, substantia est ens per se, non esse omnis substantiæ, sed duntaxat naturalium, earumque, quas nouimus, & experimur.

57 Ad primam rationem illarum, quibus ostendebatur, syllogismum sophisticum, formæ utique, ac rectæ dispositionis defectu, esse propriè argumentationem, dicendum est, non omnem discursum intellectus ab vno actu suo ad alium esse propriam, & vera ratione tertiam mentis operationem, aut discursum, per quem hæc solet definiri, sed eum tantum cuius præmissæ connexionem habent cum conclusione ex illis sequuta: ita autem haud connectuntur partes, quibus quodammodò coalescit syllogismus, non formalis, & ob id pseudographus. Ad secundam rationem respondendum est, syllogismum, quo de loquimur, esse secundam mentis operationem non tamen vnā, sed multiplicem, & per accidens pluribus cumulata: haud ergo necesse est, haud etiam æquum, eum ad tertiam mentis operationem reuocare.



TRACTATVS IV.

De aliis argumentationibus.

CAPVT I.

De Enthymemate.

MULTIPLEX est ac varia enthymematis apud authores nomenclatura: Mendoza in viridario lib. 7. cap. 11. Cyprianus Soarez lib. 2. Rhetoricæ cap. 19. illud vocant orationem bipartitam, vel bimbrem, aut ex duobus tantum pronuntiationis constitutā, vt omnis homo est animal, ergo Petrus est animal, nullus lapis est animal, ergo nullum animal est lapis. Quintilianus lib. 5. Oratoriarum instit. cap. 14. & alij complures illud nuncupant syllogismum imperfectum, seu truncatum, necnon partem syllogismi, propterea quod cum alia propositione subintellecta sit integer syllogismus, secus verò sine illa: nam superius enthymema priori loco in exemplum adhibitum huius additamento minoris *Petrus est homo* ita perfectum efficias syllogismum, omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal.

Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 1. & lib. 1. poster. cap. 1. illud nominat syllogismum oratorium, quod eius frequentior sit usus apud oratores, quam Philosophos: Quod orator aliquis (vt exemplo vtar Fabij vbi paulo supra) diceret, cum argentum legauerit omne, pecuniam quoque legauit, quæ est in argento; ita debet philosophicè, ac scholasticè proferri, si pecunia, quæ est in argento signato, argentum est, qui argentum omne legauit, & pecuniam quæ est in argento signato legauit: argentum autem omne legauit: igitur & pecuniam, quæ est in argento, legauit. Quod item ait Cicero pro Milone: *Eius igitur (scilicet Clodij) mortis sedes vltiores, cuius vitam si puteris per vos restitui posse nolitis?* ita dicendum est philosophico, ac scholastico more, cuius vitam nolitis restitui iudices, eius non debetis vlcisci mortem: at Clodij vitam si puteris restitui posse, nolitis: eius igitur non debetis vlcisci mortem. Quod denique Micipsa apud Sallustium ad Iugurtam Manastabilis fratris filium, quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? ita scolæ stylo protuleris; si quando sperare potes alienos fore tibi fidos, debes tuis hostis non esse, at sperare potes aliquandò alienos tibi fore fidos, haud enim credibile est, nusquam inter eos tutam esse fidem, tuis ergo debes hostis non esse.

Huius autem discriminis inter oratores, & philosophos Fabius iterum, atque iterum à nobis laudatus rationem tradit perquam elegantem, in hæc verba namque illi homines docti (scilicet Philosophi) & inter doctos, verum quærentes minutius, & scrupulosius scrutantur omnia, & ad liquidum, confessumque perducunt: vt qui sibi, & inueniendi, & indicandi vendicent partes, quarum alteram topicen, alteram criticem vocant. Nobis (id est oratoribus) ad aliorum iudicia componenda est oratio, & sapiens apud omnino imperitos, atque aliarum certè ignaros literarum loquendum est: quos nisi, & delectatione allucimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus

affectibus, ipsa, quaiusta, ac vera sunt tenere non possumus. Locuples, & speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis, & crebris, & in unam prope formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam seruitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium iulerit.

4. Dubitabis primò, an enthymema in solius hæreat vocis superficie, vel penetret altius, atque etiam sit in nostræ mentis abdito? Auerſa quæst. 25. log. sect. 5. disertè negat esse in mente id genus enthymema, quod constat medio distincto, siue in cuius antecedente est terminus aliquis, quo caret eius consequens: vt nullus equus currit, ergò Bucephalus non currit. Alij nulla adhibita moderatione mentale negant enthymema: putant enim hanc consequentiam, nullus lapis currit, ergò nullum currens est lapis, etiam si sit in mente, non esse argumentationem vllam, atque adeò, nec enthymema (quod certe sic se habeat, an secus quæstio est de nomine) vel quidem haud esse eam in mente, vt proferitur, sed potius ita vt antecedenti vocali interius sit prior alia propositio maioris locum obtinens, faciensque, vt quod est antecedens, sit minor, hunc in modum, si nullus lapis currit, nullum currens est lapis, sed nullus lapis est currens, nullum ergò currens est lapis.

5. Cæterum contraria sententia est multis partibus probabilior. Nam enthymema, aut est simpliciter, & propriè argumentatio, vt syllogismus Dialecticus, ac demonstratiuus; & ita non est, cur horum instar non sit in mente, aut non est argumentatio, nisi adumbratè tantum, & improprie; atque sic etiam non est quapropter haud sit in mente, quippè in qua iuxta omnes est syllogismus, ratione formæ sophisticus, & apparens; prius enim eo decipimur in mente, quam illum exterius proferamus.

6. Obiicies tamen primò: nulla propositio mentalis se sola potest aliam inferre, tamen si vnâ solum vocalem alia sequatur: haud ergò est enthymema in mentis nostræ recessu. Verum antecedens esse falsum iam iam clarebit. Obiicies secundo: hæc argumentationis species, qua de agimus, vocatur, vt credunt aliqui, apud Cyprianum Soarez suprà citatum, enthymema, quod in animo maneat condita illa pars, quæ silentio est præterita: quorsum item appellatur ab aliis, inter quos Quintilianus, commentatio, siue commentum, nisi quia per eam plus commentatur intellectus, quam exterius profert: quamvis ergò in voce sit duplex propositio, in intellectu tamen erit triplex, adeoque syllogismus & non enthymema. At ne argumentum hoc ab Etymologia ductum quicquam concludit: eo enim tantum fit, enthymemati vocali respondere haud rarò in mente syllogismum perfectum, non verò quod ei non respondeat allquando enthymema mentale à syllogismo, siue tripartita argumentatione distinctum.

7. Dubitabis secundo an enthymema mentale sit argumentatio simpliciter, tertiavè mentis operatio? Aliqui negant absolutè, ac sine vlla restrictione: Conimbricenses verò 1. prior. cap. 1. quæst. 2. art. 3. & Hurtadus disp. 10. log. sect. 9. §. 39. tantum negant, illud esse simpliciter argumentationem formalem. Verum enim censeo primò enthymema mentale simpliciter, ac propriè sortiri rationem aliquam argumentationis. Namque intellectus hoc ipso quod ex vna propositione gradum faciat ad aliam, & ambæ connectantur inuicem in veritate, ita vt prior nequeat esse vera, quin etiam posterior sit cum ve-

ritate coniuncta propriè argumentatur, discursitque: atqui intellectus ab vna harum propositionum mentalium, omnis homo est animal, ergò Petrus est animal (par autem est ratio cuiusvis alterius enthymematis) progreditur ad aliam, facitque illationem alterius ex altera sola: item connectuntur inuicem: sunt ergò propria, & vera ratione argumentatio: Maior est perspicua: qua enim de causa, nisi ob assignatam in illa, syllogismus perfectus est simpliciter argumentatio: Minor, quoad posteriorem eius partem, est euidens: luce siquidem meridiana clarius est, haud posse verum esse, quod omnis homo sit animal, quin etiam sit verum, quod Petrus rationem obtineat animalis: quoad priorem eius partem aduersus Auerſam, & alios suadet: nam hæc propositio, omnis homo est animal, se sola virtualiter, & implicite cognoscit obiectum huius, ergò Petrus est animal, illudque intellectui proponit, cum reapse sit, omnem hominem esse animal, & quod Petrus, & quivis alius homo in particulari sit animal, & id sine hoc, aut è contrario nè diuinitus possit reperiri: illa igitur propositio prior se sola posteriorem inferre potest, nec ad eiusmodi illationem alterius eget iudicii præsidio: qua ratione geminæ præmissæ se solis syllogisticam inferunt conclusionem, quia eius obiectum videlicet identitatem immediatam extremorum virtualiter, & implicite attingunt, atque intellectui obiciunt: Confirmatur amplius prior eiusdem minoris pars; nam ceteræ, quibus nostrum constat argumentum, per se satis constant: præmissæ sophisticæ, & non benè inter se dispositæ inferunt etiam iuxta Auerſam, & alios aduersariorum conclusionem, licet cum ea non connectantur in veritate possintque esse veræ sine eo, quod conclusio sit vera, & hæc negari illis admittis: à fortiori ergò, vt aiunt, hæc propositio, omnis homo est animal, se sola inferret interius hanc, ergo Petrus est animal, quippè cum qua connexionem habet in veritate, eamque summam.

8. Dices: hæc propositiones, omnis homo est animal, nullus homo est animal, haud sunt contradictoriæ, quia licet nequeant esse simul veræ, aut simul falsæ, (per quam repugnantiam, in vtraque qualitate definiti solet contradictio) tamen quod ita repugnent, non sortiuntur vi formæ, sed duntaxat vi materiæ, seorsim à qua possunt esse simul falsæ propositiones, quarum vna affirmat vniuersaliter, & alia etiam vniuersaliter negat, vt omnis homo currit, nullus homo currit. At hæc propositio, omnis homo est animal, vi formæ non infert benè hanc, ergò Petrus est animal, sed ratione solius materiæ: sequela enim nulla erit in alia materia, quantumvis seruetur eadem forma, veluti si ita colligas, omnis homo est animal, ergò lapis est animal, aliumvè terminum loco Petri, qui non sit animali accommodatus, sed improporionatus, eiusque respectu disparatus in consequente, assumas. Talis ergò consequentia non formalis, eo ipso nequaquam erit simpliciter argumentatio.

9. Cæterum huic difficultati, quæ, vt dictum est paulò suprà, de solo vocum vsu litem mouet, facile potest occurri. Namque enthymema, cuius termini sunt omnino iidem in antecedenti, & consequente, vt nullus homo est lapis, ergò nullus lapis est homo, vi formæ concludit, & eadem seruata nusquam non est efficax: id ergò saltem, quidquid sit de aliis enthymematis, erit propriè argumentatio: sed de hoc haud ita post. Rursus secundo: quando antecedens vi formæ præcisè sumptæ, & provt abstractæ ab omni materia, concludit simul cum consequente,

te, est propriè argumentatio formalis: quando igitur ex antecedenti benè sequitur consequens vi destinata, ac particularis materiæ, vtrumque erit argumentatio vera, & propria, sin minus formalis, ac certè materialis: talis igitur erit ea, in qua ex hoc solo, quod omnis homo sit animal, colligitur, Petrum esse animal.

Item tertio: probabilius est, has propositiones, omnis homo est animal, nullus homo est animal, esse materialiter contradictorias, eo ipso quod ratione materiæ suæ, cum in veritate, tum in falsitate repugnent: quod autem à nobis supra lib. 4. tr. 4. c. 2. deliberatum est, eas esse contrarias, non verò contradictorias, intelligendum est, non omni contrarietate, & contradictione, sed sola formali: quam etiam, & non materiale ibi definiuimus, vbi alteram statuimus esse repugnantiam logicam duarum propositionum in veritate, & falsitate, eamque per se, & formalem, alteram verò esse logicam repugnantiam duarum propositionum in veritate, sola, eamque etiam per se, & formalem. Quarto tandem si contradictio, & contrarietas aliter sint definiendæ, quam in obiectione supponitur, quæ obsecro potest esse eius difficultas: at citatis locis, ostensum est eas aliter posse definiri, ita scilicet, vt prior sit, ratione cuius vna propositio affirmat, aut negat id, quod præcisè sufficit, & requiritur ad falsificandam alteram sibi contradicentem; posterior verò munere cuius vna propositio affirmat, aut negat plus, quam sufficit ad falsificandam alteram sibi contrariantem.

Censeo secundò enthymema esse propriè argumentationem etiam formalem. Ratio est, quia propositio conueria in omni materia se sola infallibiliter infert conuertentem: & quo pacto verè dicimus, nullus homo est lapis, ergò nullus apes est homo, eodem certe licet vbiuis recipiari: ratione igitur formæ eam infert, ac proinde non minus quam syllogismus est argumentatio formalis. Respondent aduersarij non pauci, si conuersio propositionum esset propriè argumentatio, futurum, vt esset argumentatio formalis, propter rationem à nobis obiectam: at eam non esse propriè argumentationem, sed meram illationem, siue consequentiam: ob id enim, inquit, hæc consequentia, omnis homo est animal, ergò Petrus est animal, dicitur argumentatio, quia saltem virtute continet argumentationem perfectam, & syllogisticam, ad eamque reducitur, hunc in modum, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergò Petrus est animal: hæc autem ratio non procedit in conuersione vnius propositionis, facta per aliam. Sed certè procedit, quod miror aduersarios non animaduertisse: nam ea conuersio, cuius exemplo toties sumus vsi, cohibet virtualiter hunc syllogismum, & ad eum reuocatur: si nullus homo est lapis, nullus lapis est homo, sed nullus homo est lapis; ergò nullus lapis est homo.

CAPVT II.

De inductione.

Inductio, quæ & ascensus appellatur, definiri sollet ea, in qua ex singularium sufficienti enumeratione de termino vniuersali inferitur aliquid. Frequens illius vsus est apud Philosophos, præsertim Socraticæ disciplinæ alumnos: Eam etiam valde frequentant Poætæ, atque in primis Ouidius: Vt alia eius loca prætermittam lib. 4. tristium eleg. 3. sic ad vxorem scribit.

*Materiaque tuis tristem virtutibus imple,
Ardua per præceptis gloria vadit iter,
Hæciora quis nescit, felix si Troia fuisset:
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Tiphys iacet, si non sit in aquore fluctus:
Si valeant homines ars tua Phæbe iacet.
Quæ lætæ inque bonis cessat non cognita virtus,
Apparet virtus, arguiturque malis.*

Quasi diceret: belli difficultates, ac discrimina gloriam Hæctori peperere militarem, eamque summam: æquoris pericula, & tempestates Tiphys artis nauticæ famam: valetudinis damna, ac tot, quibus afflicti sumus morbi, Phæbo medicinæ laudem nunquam intermorituram: res ergò aduersæ, & asperæ, quales sint eæ cumque, sunt gloriæ seges, laudisque, & famæ diues materia.

Percontaberis in præsentem, an inductio sit propriè, & verè argumentatio? Adtruo primò, non omnem inductionem esse propriam, & vera ratione argumentationem, siue tertiam mentis operationem. Quod à me (tamen non his terminis, sed aliis) latè probatum est supra lib. 3. tract. 4. cap. 7. aduersus non paucos veteres summulistas. Ac modò suadet iterum: hæc est inductio, & ascensus, Petrus est per se, & ex natura sua, genioque regionis, & gentis suæ bipes, Paulus similiter, & sic singuli homines, quos nouimus, & experimur, quosque, quoad eius fieri potuit, sufficienter enumerauimus: omnis ergò homo est per se, ex natura sua, &c. bipes: atqui eiusmodi inductio non est propriè argumentatio: ergo, &c. Maior est perspicua: Minor probatur; namque ad propriam argumentationem iuxta disputata tract. superiori cap. 4. & 5. opus est vt antecedens sit connexum cum consequenti, ita vt illud verum esse nequeat, quin tale sit hoc: quam connexionem vocant aliqui, quorum phrasim sequuti sumus citato tract. 4. & cap. 7. lib. 3. Alij consequentiam formalem, alij consequentiam certam, & irrefragabilem, antecedentem sicut è contrario connexionem ea minorem, consequentiam materialem, aut incertam, topicamque, & probabilem: at in inductionis positæ antecedens est verum, & consequens fortasse falsum: quis enim sciat, an præter homines, quos nouimus, & experimur, sint alij non bipedes per se, & suapte natura, genioque soli sui, sed vel monopodes, aut tripodes? quis Europæis aliquando persuaderet, Æthiops esse nigros, quis Indorum non paucis, homines esse in Europa barbaros?

Dices primò, latissimè extendendam esse significationem eius particulæ, & cetera in inductionibus adhiberi solitæ, ita scilicet, vt comprehendat omnia inferiora, nullo excepto. Contra: quia ita perinde est dicere, hic homo est per se, & ex natura sua bipes, ille est similiter bipes, & sic singuli, ac si quis dicat, omnis homo est per se, & ex natura sua bipes: quando ergò sequitur, omnis homo est naturaliter, ac per se bipes, ea inductio haud est propriè argumentatio, sed impropriè, & sola voce tenus, cum argumentari sit procedere ab vno ad aliud, non verò ab aliquo ad seipsum formaliter. Ac certè particulam, &c. vel, & sic singuli, explicatam, vt proximè tollere de medio rationem argumentationis, imò & inductionis, ob causam nuper obiectam testantur disertè nostri Conimbricenses 1. priorum cap. 1. quæst. 2. articulo 3. §. sed quicquid, ad eum finem.

Dices secundò particulam illius, & sic singuli, vel &c. significationem esse aliquantulum extendendam, eique præterea subiungendam esse constantiam

tiam, hoc pacto: Petrus, & Paulus, & sic ceteri homines, siue nobis noti, siue ignoti, ac terrarum, quas nunquam lustrauius, aut etiam audiuius, accolæ sunt per se, & ex naturis suis bipedes; & isti sunt omnes hominum species Deo possibiles, repugnantque aliæ diuersæ rationis: hoc autem modo explicatum superioris inductionis, & cuiusvis alterius similis antecedens haud potest esse verum, quin tale sit eius consequens, ut certo certius. Verum solutio hæc lib. 3. vbi semel & iterum citato, fusè à nobis est impugnata. Et quidem per se claret, si quis dubius sit, an omnis homo sit natura sua bipes, eum haud posse reddi certiore de tali eius proprietate, merito antecedentis à quo incipit superior inductionis: etenim similiter necesse est, eum aequè, vel magis incertum esse de constantia, nec non de hominibus alibi terrarum degentibus: vna autem dubietas, & incertitudo qui potest deferuire, ad tollendam aliam?

16 Censeo secundò, non paucas inductiones fortiri rationem veræ, ac propriæ argumentationis; eas scilicet, quarum inferiora haud sunt innumera, sed sed potius pauca numero: ut, v.g. substantia est bonum quoddam, accidens etiam est bonum quoddam, ergò omne ens est bonum: oculus dexter est idoneus ad videndum, oculus sinister similiter est idoneus ad videndum, omnis igitur oculus est idoneus ad videndum: ignis habet vnam saltem qualitatem primam in summo gradu; aer etiam: nec non aqua; ac denique tellus: omne igitur elementum sortitur in summo primam aliquam qualitatem: cælum lunæ est globosum, cælum Mercurij est etiam globosum, ac similiter reliqui vsque ad decimum & supremum, omne igitur cælum mobile rotundatur in globum.

17 Ratio est, quia in his illationibus, aliisque id genus, haud vnquam potest antecedens esse verum, quin sit etiam verum consequens: Porro earum quævis ita est species quædam enthymematis, ut possit etiam formari in syllogisum, hoc pacto: substantia, & accidens est omne ens: at substantia est bonum quoddam; & accidens similiter: omne igitur ens est bonum transcendentaliter utique; haud enim in alio sensu loquimur: Cæterarum similiter in syllogismos conuersio, cum sit perquam facilis, non est quod in ea immoremur amplius.

C A P V T III.

De Exemplo, Epicheremate, Sorite, & Dilemmate.

18 Quid ad exemplum attinet, frequens vsus eius est, non solum in scholasticorum libris, verum etiam in sacris litteris, nec non humanioribus, cum poetarum, tum etiam oratorum. Sic dicitur lib. 1. Machabæorum cap. 4. *Memento te, qualiter salui facti sunt Patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharaon, cum exercitu multo: & nunc clamemus in cælum, & miserebitur nostri Dominus*: Quasi diceret Iudas Machabæus ad suos: Deus Patres nostros liberabit à Pharaone, & Aegyptiis; ergò & nos liberabit ab Antiocho, & Syris: vel non instar enthymematis, sed syllogisticè; cum nostri eadem sit in præsens conditio, quæ fuit quondam patrum nostrorum, Deus, illos si tutos præstitit ab inimicis, & nos ab inimicis tutos præstitit: at quod illos præstitit tutos ab inimicis est certo certius: similiter ergò & nos ab eis tutos præstitit. Sic Priamus apud Virgilium lib. 2. Pyrrhum increpat ob Politen, in conspectu suo interfectum

*At non ille satum, quo te mentiris Achilles
Talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exangue sepulchro
Reddidit Hektorum, meque in mea regna remisit.*

Id est, Achilles, quo te satum falsò gloriaris, mei, quamuis hostis, misertus est: pariter ergò tu mei miseri debebas: Vel ita: cum filij similes se parentibus præbere debeant, eorumque æmulari gesta, quod Achilles, quo te genitum gloriaris, fecit; id æquum erat, & te fecisse: at ille malorum nostrorum indoluit, longæque Regis misertus est: par igitur erat, ut te quoque aliquis ergà nos pietatis, ac misericordiarum tangeret affectus. Sic denique Cicero pro Milone: *Negant, iniuri lucem esse fas ei, qui ab se hominem esse occisum fateatur: in qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, qua primum iudicium de capite vidit. M. Horatij fortissimi viri, qui nondum libera ciuitate, tamen Populi Romani comitibus liberatus est, cum sua manus sororem esse interfectam fateretur*: Hoc est M. Horatius interfecta sorore Romæ liberatus est: ergò & Milo, quamuis interfecerit Clodium, liberandus est: aut ita: Horatius, & Milo, cum iisdem sint affecti conditionibus, & cædes ab utroque facta fuerit iusta, si alter iure liberatus est, & alter eodem iure liberandus est: at ille iure liberatus est: ergò & hic. Ex dictis constat exemplum esse posse propriè argumentationem, & vel enthymematis, vel syllogismi speciem.

Epicherema est breuiter comprehensa ratiocinatio, siue quod, tametsi enthymema, aut syllogismus sit mente; non tamen voce, sed potius vna tantum propositio, duabus, vel tribus æquiualens: ut apud Ciceronem pro Rege Deiotaro, quem apud Iulium Cæsarem seruus accusauit: *en crimen, en causa*, cur Regem fugitiuus, Dominum seruus accuset: aut quod perinde est, sine causa non debet seruus Dominum accusare: qua in propositione latet hoc enthymema, hic medicus est seruus Deiotari: ergò non debet eum accusare; & hic syllogismus, nullus seruus debet sine causa Dominum accusare, at hic medicus est Deiotari seruus, ergò non debet eum absque causa accusare.

20 Sorites, vel argumentatio acervalis, siue conglobata, aut de primo ad vltimum similiter est species quædam, vel enthymematis, vel syllogismi imperfecti: quatenus autem sub hoc continetur, satis est à nobis explicatus lib. 6. 5. tract. 2. cap. 2. Præter eius exemplum inibi adductum en aliud, & perquam elegans ex Cicerone 3. de officiis: *Atque si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est, secundum eandem naturam, omnium utilitatem esse communem: quod si ita est, vna continemur omnes, & eadem lege natura: idque ipsum si ita est, certè violare alteri lege natura prohibemur: verum autem primum, verum igitur & extremum.*

21 Dilemma argumentum cornutum appellari solet, eo quod utroque cornu feriat, & quicquid ex contradictoriis concedatur aliquid contra concedentem concludat, ut si conuersionem gentium ad Christi fidem fuisse miraculosam, ita inferas: aut vera miracula ad conuertendas gentes ad Christi fidem edita sunt, aut non? si primum; ergò conuersio gentium miraculosa fuit: si secundum; quod maius miraculum, quam, absque præuiis miraculis, gentes in Christum credidisse: ac proinde earum conuersio miraculosa non esse non potuit. Eodem argumenti genere confutat Pyrrhonius Clemens Alexandrinus lib. 8. Stromatum: *apud Pyrrhonios in-quiens,*

quiens epoche hoc est assensionis sustentatio, qua vult nihil esse firmum, ac stabile, si à seipsa caperit, clarum est, quod primum seipsum infirmabit. Aut ergo dat aliquid esse verum; & non est de omnibus sustinenda assensio, aut persistis dicens, nihil esse veri; & clarum est, quod nec ipsa prius verum dicit: aut enim ipsa verum dicit, aut non: sed si verum quidem dicit, concedit vel innuit, esse aliquid veri: sin autem non verum

dicit, vera ea relinquunt, qua volebat tollere de mediocritate: nam quatenus falsa ostenditur, qua perimit epoches, seu assensionis sustentatio, eatenus vera esse ostenduntur, qua perimuntur: quomodo somnium, quod dicit omnia somnia esse falsa: nam cum seipsum perimat, confirmat alia. Vide etiam, si libet, huius argumentationis dūo lepidissima exempla, apud Aulum Gellium lib. 5. nocturnum Atticar. cap. 10.



LIBER SEXTVS

De Signis veritatis.



TRACTATVS I.

De Signo in communi.

CAPVT I.

Quid sit Signum in communi.



Propria, & germana signi vt sic definitio est talis: Signum est, quod in alicuius veritatis cognitionem quempiam ducit. Obiicies tamen primo, ita fore, vt res spirituales fortiantur rationem signi: nam iuxta doctrinam B. Thomæ 1. part. quæst. 56. art. 3. ac cæterorum omnium Theologorum, nobis sunt medium cognoscendi Deum & in eius notitiam nos perducunt: atqui non sunt signa: rationem enim communem signi definit Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 1. hoc pacto: signum est, res speciem, quam ingerit, sensibus aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire, & lib. de principiis dialecticæ cap. 5. Signum est, quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo representat: ergo de essentia signi est, quod sit sensibile quidpiam, ac proinde materiale: haud ergo potest esse spirituale; è conuerso igitur nil spirituale sustinet esse signum. Respondeo, signum in communi haud oportere esse rem materialiter, sed latius hac patere, vt ex Magistro sentent. dist. 1. colligunt Conimbricenses, vtque est communis scholasticorum opinio: quare quod ex nostra definitione sequatur, res spirituales obtinere rationem signi, non est incommodum. Augustinus autem haud signum in communi sumptum, ac latissimè fufum, sed quandam eius speciem nobis magis exploratam, videlicet signum externum, ac sensibus obuium definit, atque adeo definitioni nostræ non contradicit.

Obiicies aduersus eam secundo: cognitio reflectens supra seipsam ducit in cognitionem sui, ac facit seipsam cognosci: at non est signum sui: perperam ergo definitum est à nobis signum. Maior est in aperto: Minor suadet, nihil potest esse signum sui, ergo nec etiam cognitio seipsam significare: Consequentia hæc negari nequit: Antecedens est,

Conimbricenses lib. 1. de interpret. cap. 1. quæst. 1. art. 2. Soncinatis 12. metaph. quæst. 59. Torrens de Trinit. quæst. 27. art. 1. disp. 2. Soti lib. 1. summul. cap. 2. not. 2. necnon, vt aliqui putant, Ambrosij lib. 1. de Abraham cap. 4. & Anselmi in c. 4. ad Rom. suadet, quæ in hunc modum.

Signum est representatio, siue imago rei significata: atqui nihil sibi ipsi assimilari, se representare, aut imaginari sustinet: tum quia, ita posset aliquid ad seipsum realiter referri, quo nihil magis absurdum: tum etiam quia, ita de imagine, ac similitudine seu representatione sentiunt Gregorius Nyssenus de opificio hominis cap. 17. Augustinus 7. de Trinit. cap. 1. Athanasius de consubstantialitate Verbi contra Meletium, Hilarius, Boëtius, & communiter alij Patres: necnō scholastici cum Magistro in 1. dist. 2. & dist. 27. ac B. Thoma etiam in 1. dist. 7. quæst. 2. art. 2. ad 2. & ex eo constat, quod similitudo sit relatio realis: nulla autem relatio realis potest esse nisi ad aliud nulla alicuius ad seipsum: nihil igitur sibi ipsi assimilari, se representare, aut imaginari sustinet. Deinde suadet idem antecedens: signum sensibile ducit sensibilibiter in cognitionem alterius rei, vt liquet ex Augustino supra citato: signum ergo non sensibile, sed spirituale insensibilibiter, ac solum intellectualiter ducit in cognitionem alterius rei: omne ergo signum ducit in cognitionem alterius: at particula, *alterius*, denotat distinctionem: res ergo significata debet esse distincta à signo, & hoc ab illa, ac proinde nihil esse potest suummet ipsius signum.

Respondeo, cognitionem supra se reflectentem esse signum sui, atque vniuersaliter in eo, quod aliquid reipsa se significet, nullam esse repugnantiam, nihil incommodi: Ita Arriaga disp. 13. logic. sect. 1. num. 5. Balthasar Tellez disp. 9. logic. sect. 3. conclus. 1. & quod caput est, id colligitur ex August. cap. 5. libri de Magistro. Ad primam rationem contrariam dicendum est, quamuis tam nequeat aliquid esse representatio, aut imago physica, & vniuoca sui, quam non potest aliquid ad se realiter referri; cæterum, si sermo sit de representatione, similitudine, & imagine intentionali, & analogica, quæ quidem instar physica non est ex genere suo realis relatio, posse quidpiam ita seipsum representare, se imaginari, ac sibi assimilar, adeoque esse sui signum. Et quidem prædicta ratio, si cuius esset momenti, id probaret, nullam cognitionem posse se cognoscere, aut representare: cuius tamen contrarium, quod ad di-

uinam